

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Proponuntur dubia de defectibus Christi, & solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

obseruat S. Thomas hic quæst. 7. art. 8. De ratione prophetie non est enigmatica cognitio; adeoque de ratione prophetie non est, ut obscure cognoscatur: sed prophetia (ut ait S. Doctor ad 2. est eorum, quæ sunt procul à communi hominum sensu, cum quibus propheta conuersatur, & communicat in statu viæ.

Dices 3. Christus non habuit donum linguarum; nunquam enim tali dono usus est. R. neg. Christus enim in hac parte inferior non fuit Apostolis, quos certum est habuisse donum linguarum. Porro hoc donum non inutiliter habuit Christus, licet fortasse eo nunquam usus sit: sicut non inutiliter habitum habet is, qui eo non utitur, quando opportunum non est, ut obseruat Sanctus Thomas hic quæst. 7. art. 7. ad 3.

ARTICULUS III.

Proponuntur dubia de defectibus Christi, & solvuntur.

Quaes 1. Utrum Christus assumpserit omnes defectus corporis.

R. 1. Christus assumpsit omnes defectus corporis, qui toti humanæ naturæ communes sunt, quales sunt fames, sitis, fatigatio, passibilitas, & mors. Constat ex Scripturis in quibus Christus legitur esuriisse, sitiuisse, fatigatus esse ex itinere, passus esse, & à Judæis occisus. Ad hoc etiam pertinet illud Isaia c. 53. Per languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Porro defectus illos, toti humanæ naturæ communes à Christo assumi debuiss, debito scilicet convenientiæ & congruitatis, S. Thomas hic art. 1. in O. probat triplici ratione: Primo quidem, quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum penam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, & huiusmodi, sunt poena peccati, quod est in mundum per Adam introductum. Unde conueniens fuit, quantum ad finem incarnationis, quod huiusmodi poenales (Christus) in nostra natura suscipere vice nostra. Secundo, propter fidem incarnationis adstruendam: cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout huiusmodi corporali defectibus subiacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse. Tercio, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones & defectus humanos fortiter tolerando.

R. 2. Christus non assumpsit defectus particulares corporis, quales sunt morbi, vel deformitates. Ita D. Thomas hic quæst. 14. art. 4. in O. ubi sic ratiocinatur: Quidam defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis sic lepra, & morbus caducus, & alia huiusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formativæ. Quorum neutrum conuenit Christo: quia & caro ejus de Spiritu sancto concepta est, qui est infinita sapientia & virtutis, errare & desicere non potens: & ipse (Christus) nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercebat. Adde defectus illos particulares à Christo assumi necessarium non fuisse ad hoc, ut aut sufficienter satisfaceret pro peccatis hominum, aut fidem incarnationis astrueret, aut denique sufficientissima nobis patientiæ exempla exhiberet.

Obj. Tertullianum in libro de carne Christi, ubi cap. 9. docet, Christum fuisse vultu & corpore deformem. R. hic Tertullianum, cum probare vult, corpus Christi non fuisse ex materia cœlesti constatum, pro nativæ suæ duritiæ excessisse, prætenamque Christi deformitatem non ostendere ex constanti aliqua traditione, aut alio aliquo firmo argumen-

to, sed levi admodum & contemnenda conjectura, sumpta ex eo quod Judæi Christum contempserint, & contumeliis affecerint, ipsumque milites in passione conspuerint. Verba ejus sunt: Notaretur carnis in illo (Christo) novitas miraculo habita, sed carnis terrena non mira conditio, ipsa erat quæ cætera ejus miranda faciebat, cum dicerent: Unde huic doctrina, & signa ista? Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. Adde nec humana honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passionēs, ipsa contumelia loquuntur. Passiones quidem humanam carnem, contumelia vero inhonestam probare. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, ullam spuataminibus contaminare faciem, nisi merentem? Quasi verò Judæi crebris, licet aequissimis Christi reprehensionibus exarebati, emulatione ac invidia perciti, à dæmone impulsī, hominem vultus ac corporis decore spectabilem spernere, conspuere, & alapis cadere non potuerint!

Longè ergo rationabilius ac verius de Christo sentit Chrysostomus hom. 28. in Matth. ubi hæc habet: Repellebat (Christus) turbam, quoniam erant ei affixi non pauci, amantes, admirantesque ipsum, videreque ipsum semper cupientes. Et certe quis ab autore talium signorum non invitatus recederet; aut quis vel faciem solam aspicere, eosque ipsum ex quo divina preceptorum instituta profluebant, ingenti desiderio non arderet? Nam ut in faciendis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse, idque ipse propheta significans, multo ante clamaverat: Speciosus pulchritudine super filios hominum.

Christum speciosum fuisse, probat Chrysostomus. 1. Ex eo, quod turbæ vix paterentur se ab eo divelli. 2. Ex traditione, de qua, cum ipse Syrus esset; melius instrui potuit, quam Tertullianus. 3. Ex Davide, cujus hæc verba Spalmo 44. Speciosus forma præ filiis hominum, non tam de Salomone, quam de Christo, cujus figura fuit Salomon, etiam literaliter, proculdubio intelligi possunt & debent. Quare prophetas omnes de Christi pulchritudine tacuisse, immerito Tertullianus scripsit.

Hic adde, nullam convenientem assignari posse causam, cur Christus corporis & vultus deformitatem assumere voluerit. Et verò hoc neque ad satisfaciendum Deo pro hominibus, neque ad probandam carnis assumptæ veritatem, neque ad danda hominibus virtutum exempla, propter quas rationes, communes toti humano generi defectus à Christo assumpti dicuntur, necessarium fuit, aut etiam conueniens.

At inquit. Isaïas de Christo loquens c. 53. dicit: Non est species ei, neque decor. Ad hoc respondet Chrysostomus hom. citata: nam post verba, quæ proximè retulimus, sic continud proseguitur: Quod autem dicit Esaias, Non habebat speciem, neque pulchritudinem, aut quoniam ad deitatis suæ ineffabilem gloriam, aut quoniam passionis cruentam deformationem, & lividos tumores respexit, id ita dixit: vel etiam quia tenui eum victu & vestitu usurum significare voluit. Consule Nicephorum lib. 1. historię ecclésiasticę c. 40. ubi divinam oris corporisque figuram ac formam Salvatoris nostri Jesu Christi ex veterum traditione graphicè describit.

Tres hic responsiones affert Chrysostomus, quarum secundam aliis duabus facillè anteponimus, utpote veriorem, & contextui magis conformem. Loquitur ergo Isaïas de cruenta deformatione, quæ Christo in passione contingit ex crudelitate Judæorum, non verò de deformitate aliqua vultus & corporis, quam Christus antea habuerit, quamque re ipsa Christum non habuisse, juvat adhuc hoc demonstrare argumento. Si Christus vultu & corpore deformis fuit, deformitatem hanc vel habuit, antequam nasceretur, ita ut cum ea natus sit; vel eam postea tantum contraxit. Neutrum dici potest. Non primum: nam si cum ea deformitate natus est, illam habuit ex defectu virtutis formativæ: cum enim deformitas vultus &

corporis consistat in carentia debite proportionis, vel compositionis partium, in utroque materno aliunde, quam ex defectu virtutis formatricis contrahi non potest. Atqui Christus in utero materno nullum corporis defectum contrahere potuit ex defectu virtutis formatricis, quia ut ait S. Thomas: *Cara ejus de Spiritu sancto concepta est, qui est infinita sapientia & virtutis, errare & deficere non potens. Ergo, &c.*

Non etiam secundum: nam si Christus, postquam natus est, aliquam vultus & corporis deformitatem contraxit, contraxit vel ex morbo, vel ex intemperantia, vel denique, ex alio aliquo casu. Atqui nihil horum dici potest. Non primum: Christum enim aliquando morbo laborasse, numquam auditum est. Non etiam secundum: nam, ut dicit S. Thomas, *nihil inordinatum in regimine sue vite exercuit. Non denique tertium: nam quis esset ille casus?*

At inquit adhuc. Christus deformitatem vultus & corporis non contraxit quidem ex culpa, aut necessitate aliqua, sed voluntarie assumpsit. *R.* Querendo quare assumpsisset: nam deformitas illa ad finem incarnationis nec necessaria fuit, nec utilis, sed potius fuit contraria: Christus enim venit, ut homines doceret, illos ad amorem sui alliceret, illis virtutum omnium exempla praberet. Ad hæc autem omnia quid conferre potuit vultus ac corporis deformitas? E contra verò quantum ad hæc omnia conferre potuit oris dignitas, & majestas totius corporis: hæc enim auditorium reverentiam conciliant, amorem accendunt, virtutem amabilem efficiunt, & ad imitandum provocant, ut certa docet experientia.

At inquit denique. Filius Dei deformitatem vultus & corporis assumere voluit ad majorem sui deprecationem, & ut se hominibus contemptibilem exhiberet, ad majus humilitatis & patientiæ exemplum. *Resp. ad primum,* majori illa deprecatione opus non fuisse, cum Filius Dei semetipsum etiam exinaniverit, assumendo naturam humanam cum defectibus toti humano generi communibus, ut expressè ait Apostolus in *epist. ad Philip. cap. 2. Resp. ad secundum,* Christum debuisse, se non contemptibilem, sed venerabilem hominibus exhibere, cum venerit ut Magister, Doctor, Legislator, & Rex, non quidem temporalis, sed spiritualis. Quantum autem eum, qui talibus gaudet prerogativis, vultus dignitas & majestas corporis deceant, quis ignorat? Facendum igitur est, aptissimam in Christo membrorum omnium proportionem, ac consensionem extrixisse cum incredibili venustate, quam tamen Christus, quoad vitam vixit mortalem, tantum temperavit, quantum postulabat status viatoris.

Quæres 2. Utrum in Christo fuerit peccatum?

Resp. 1. In Christo non fuit peccatum originale, ut patet ex *Luc. cap. 1.* ubi dicitur: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ratio autem est, 1. quia in illis tantum est peccatum originale, qui seminaliter descendunt ab Adamo: at non sic ab Adamo descendit Christus, cum de Spiritu sancto conceptus fuerit; & cum Apostolus, *Rom. cap. 1.* loquens de Christo, ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* per *to ex semine*, idem significatur ac per *to ex stirpe & progenie.* 2. Christus à primo instanti conceptionis suæ sanctus fuit sanctitate, tum substantiali, tum accidentali, ut probatum est. Ergo, &c.

Resp. 2. In Christo non fuit peccatum actuale, ut patet ex Scriptura: nam de eo dicitur, *Hebr. cap. 4. Tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.* Et *1. Petr. cap. 2.* *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Ratio est, quia Christus fuit omnino impeccabilis, de quo infra. Utramque responsionem probat S. Thomas hic *qu. 15. art. 1. in Q.* in hunc modum: *Christus suscepit defectus nostros, ut pro nobis satisfaceret, & ut veritatem humane nature comprobaret, & ut nobis fieret exemplum virtutis: secundum quæ tria manifestum*

est, quod defectum peccati assumere non debuit. Primo quidem, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, quin imò virtutem satisfactionis impedit.... Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humane nature, quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus est causa..... Tertio quia peccando, exemplum virtutis præbere non potuit, cum peccatum contrarietur virtuti.

Dices. Apud Davidem *Psal. 21.* Christus ipse dicit: *Deus meus..... quare me dereliquisti? Longe à salute mea verba delictorum morum.* R. Christum loqui de delictis hominum, quæ vocat sua, quia ea in se susceperat, juxta illud, *1. Petr. cap. 2.* *Qui peccata nostra ipse per tulit in corpore suo super lignum.*

Quæres 3. Utrum in Christo fuerit fomes peccati?

Resp. 1. Non fuit fomes, seu concupiscentia actualis in appetitu materiali Christi: nam in appetitu materiali fomes actualis est actualis motio ad sensibile turpe & illicitum, rationem præveniens, & ad peccatum alliciens. Atqui talis motio non fuit in appetitu materiali Christi. 1. Enim est per se indecens, & repugnans rationi. 2. Est in aliis hominibus propter peccatum originale, quo Christus caruit. 3. Non est utilis ad redemptionem hominum, sed potius illi per se contrariatur. 4. Est contra perfectionem sanctitatis participatæ, quam tamen in Christo probatum est tantam fuisse, quanta potest esse. 1. Cum in Christo nullus fuerit motus indeliberatus, si talis motio fuit in Christo, in eo deliberata fuit, adeoque peccatum: nullum autem peccatum fuit in Christo. Ergo, &c.

Resp. 2. Non fuit in appetitu materiali Christi fomes seu concupiscentia habitualis: nam in appetitu materiali fomes habitualis nihil aliud est, quam ipse appetitus materialis, qua pronus est, & proximè expeditus ad motiones circa sensibilia turpia & illicita, rationem prævenientes, & ad peccatum allicienses. Atqui talis pronitas appetitus materialis non fuit in Christo: repugnat enim rationi perfectissimæ sanctitatis participatæ, qualem habebat Christus. Præterea, utilis non est ad finem redemptionis, sed potius illi per se contraria, ut de fomine actuali dictum est. Ergo, &c.

Resp. 3. Similiter non fuit fomes actualis, neque habitualis in intellectu & voluntate Christi: nam 1. intellectus Christi non habuit actus indeliberatos erroris, nec ad hujusmodi actus pronus fuit: utrumque enim repugnat rationi perfectissimæ scientiæ, qualem Christus habuit. 2. Voluntas Christi non habuit motiones indeliberatas odii, superbiæ, invidiæ, &c. nec prona fuit ad actus hujusmodi: nam utrumque repugnat rationi perfectissimæ sanctitatis participatæ, qualem habuisse Christum, demonstratum est.

Quæres. Utrum in Christo fuerit ignorantia?

Resp. In Christo ignorantia non fuit; quod sic probat S. Thomas hic *quæst. 15. art. 3. in Q.* Sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ & virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ. Sicut autem in Christo plenitudo gratiæ & virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ opponitur. Unde sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia.

Obj. S. Damascenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 21. de Verbo dicit, quod ignorantem & servilem naturam assumpserit. *Resp.* S. Damasceni sensum esse, quod Verbum assumpserit naturam, quæ de se, & in aliis hominibus ignorans est. Verba ejus sunt: *Scrivere opera pretium est Christum ignorare quidem laborantem, ac servilem naturam assumpsisse. Homini enim natura Dei conditoris sui serva est, atque in futurarum rerum ignorare versatur..... Verum ob persone identitatem, atque indivisam conjunctionem, Domini anima rerum futurarum cognitione, quemadmodum, & reliquis miraculis, locupletata est..... Humana natura suapte quidem essentia futurarum rerum notitiam haud quaquam habet: at Domini anima ob unionem cum ipso Deo Verbo, ac personalem* iden.

identitatem . . . futurarum, ut dixi, rerum notitiam consecuta est.

Hanc Damasceni interpretationem Iodocus in commentario capitis citari tradit, & illustrat hoc exemplo: Si humili loco nata, & ex infima plebe asciscatur in regis uxorem, eique connubio jungatur, secundum suam considerata originem plebeia diceretur & ignobilis: ut verò regalibus nuptiis illustrata, & regina dicitur & domina, neque plebea nuncupanda est, neque abjecta: nam præclari viri sui titulus nobilitatur.

ARTICULUS IV.

Proponuntur dubia de Passionibus Christi, & solvuntur.

Quæres 1. Utrum in Christo fuerint passiones.

Nota. Nomine passionum hic intelligimus actus animæ sentientis, naturali necessitate conjunctos cum perceptione alicujus commotionis, vel passionis corporis; unde passiones nuncupantur. Hoc supposito,

R. Fuerunt in Christo passiones: nam in Christo fuit dolor sensibilis, tristitia, &c. ut deinceps ostendetur. Circa passiones Christi S. Thomas hic q. 15. art. 4. in O. hæc habet notatu digna. Sciendum est, quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem, quantum ab objectum: quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo, quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt iudicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. . . . Tertiò, quantum ad affectum, quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistant in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humane carni convenientes, sic ex eius dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediatur facere, que conveniebant.

Quæres 2. Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis?

Nota. Dolor sensibilis est actus animæ sentientis, averfantis læsionem corporis, sensu tactus perceptam. Unde ad dolorem sensibilem duo prærequiruntur, nempe læsio corporis, tamquam objectum, & perceptio hujus læsionis, tamquam applicatio objecti; quibus duobus positis, naturali necessitate sequitur in anima sentiente dolor sensibilis, seu actus, quo anima sentiens læsionem corporis perceptam averfatur. Hoc supposito,

R. In Christo fuit dolor sensibilis, ut patet ex Isaia capite 53. ubi de Christo dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit.* Ratio est, quia in Christo fuit læsio corporis, & perceptio hujus læsionis, quando tormenta passus est. Ergo etiam in eo fuit dolor sensibilis, cum sit actus naturali necessitate consequens actum, quo percipitur læsio corporis, adeoque semper consequens, nisi miraculose impediatur.

Porrò dici non potest Christus dolorem illum sensibilem per miraculum impedivisse: ad redemptionem enim nostram conveniens fuit & utile, ut Christus experiretur dolorem sensibilem. Item nec dici potest, dolorem hunc exclusum fuisse per visionem beatificam, quam semper habuit Christus, nam ut ait S. Thomas hic quæst. 15. art. 5. ad 3. *Virtute divinitatis Christi, dispensativè sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabat ad corpus, ut ejus passibilitas & mortalitas tolleretur; & eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.*

Hic breviter observa, non solum actum illum, quo anima sentiens averfatur læsionem corporis, sensu

tactus perceptam, vocari dolorem, sed etiam ipsam corporis læsionem, & perceptionem ejus. Dolor autem, secundum hanc triplicem acceptionem, fuit in Christo, ut ex dictis intelligitur.

Quæres 3. Utrum in Christo fuerit tristitia sensibilis.

Nota. Tristitia sensibilis est actus animæ sentientis malum aliquod sensibile, apprehensum, seu perceptum ut præsens, averfantis: unde ad tristitiam sensibilem duo prærequiruntur, nempe malum aliquod sensibile; putà mors parentis tamquam objectum; & mali illius præsentis apprehensio, seu perceptio, tamquam applicatio objecti; quibus duobus positis, naturali necessitate sequitur in anima, quæ sentiens est, tristitia sensibilis. Hoc supposito,

R. In Christo fuit tristitia sensibilis. Patet ex Matth. c. 26. ubi Christus ipse ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et ratio est, quia in Christo potuit esse, & fuit mali alicujus sensibilis perceptio, quæcum naturali necessitate conjunctus est actus, quo anima, quæ sentiens est, averfatur malum illud, perceptum ut præsens. Porrò cum Isaia cap. 42. de Christo ait, *Non erit tristis, neque turbulentus;* sensus est: Non erit pronus ad iracundiam, vel, ut vult S. Thomas hic q. 15. art. 6. ad primum, tristitia ei non dominabitur.

Quæres 4. Utrum in Christo fuerit timor sensibilis.

Nota. Timor sensibilis est actus animæ, quæ sensitiva est, averfantis malum aliquod sensibile, cognitum ut futurum, sive certò futurum sit, sive incertò tantum. Ad timorem itaque sensibilem duo prærequiruntur: malum aliquod sensibilem tamquam objectum, & illius ut futuri perceptio sensitiva; quibus duobus positis naturali necessitate sequitur actus, quo anima, quæ sensitiva est, malum illud sic perceptum averfatur. Dixi autem, sive certò futurum, sit, sive incertò tantum: nam quòd malum sit incertò futurum, & ita aliqua sit spes evadendi, non requiritur ad timorem quemlibet, sed solum ad eum, in quo locum habet consultatio. Jam

R. In Christo fuit timor sensibilis, ut patet ex Marci cap. 14. ubi de Christo dicitur: *Cæpit pavere, & tedere.* Ratio est, quia in Christo potuit esse, & fuit mali alicujus sensibilis, ut futuri, sensitiva perceptio, quam naturali necessitate consequatur timor sensibilis, seu actus, quo anima sentiens averfatur malum, sic apprehensum, nisi per miraculum impediatur.

Obj. illud Proverbiorum cap. 28. *Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit.* **R.** cum S. Thoma hic quæst. 15. art. 7. ad 1. *Iustus dicitur esse absque terrore, secundum quod terror importat perfectam passionem, avertentem hominem ab eo, quod est rationis; & sic timor non fuit in Christo, sed solum secundum propassionem.* Quod ut intelligas, adverte, ex S. Doctore hic quæst. citata art. 4. in O. *Passio perfecta intelligitur, quando animo, id est rationi dominatur; propassio autem quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius non se extendit, adeoque non dominatur rationi, sic ut hominem ab eo, quod rationabile est, avertat.*

Quæres 5. Utrum in Christo fuerit admiratio?

R. In Christo admiratio fuit, ut patet ex Matth. cap. 8. ubi legitur: *Audiens Jesus miratus est.* Hanc autem responfionem sic probat S. Thomas hic quæst. 15. art. 8. in O. *Dicendum, quod admiratio propriè est de aliquo novo & insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid novum & insolitum, quantum ad scientiam divinam, quæ cognoscebat res in Verbo: neque etiam quantum ad scientiam humanam, quæ cognoscebat res per species inditas: potuit tamen aliquid esse novum & insolitum secundum scientiam experimentalem, secundum quam sibi poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo si . . . loquamur de eo, quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et assumptis hunc defectum ad nostram instructionem, ut scilicet doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur.*

Dices.